



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 2. Cur homini libertas arbitrij à Conditore data?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

26 Cap. II. *Desertis succurrere Deum*

nem, etiam fide illum diuina ornauit, qua-
Deum, tanquam finem quoque supernatu-
ralem supremāmq; beatitudinem suam ob-
iectuam, cognosceret: spe cum instruxit, vt
ex Elysijs illis campis, & amabili, sed terre-
no Paradiſo, ad maiora cœlestiāq; gaudia-,
meliore flamma incensus, anhelaret: chari-
tate diuinâ inflammauit, vt cor illius, sive
rei ignis vi, sursum ferretur: justitia origi-
nali decorauit, vt omnes illicitos motus ha-
beret in potestate; denique, ne vllum decus
deſſet, nulla illi virtus defuit. His tantis
auxilijs firmatus æternam vitam, planissima
via, erat aditus, si voluisset.

§. II.

*Cur homini libertas arbitrii à Conditore
data?*

Quia verò nihil coactum est glorioſum,
libertas arbitrij est illi relictā. In æquilibrio
positus, quò libuit, potuit ſe ſe ſponte incli-
nare. Hinc vel laus, vel vituperatio omnis.
Arbitrio utenti vel prœmium, vel pœna de-
cernitur. *Qui probatus eſt in illo, & perfectus*
eſt, erit illi gloria æterna: qui potuit transgre-
di, & non eſt transgressor: facere mala, & non
fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino,
ideo bona promissa ſemper duratura. Ha-
eccl. 31.
ro.
de

de caussa Deus ab initio constituit hominem, & Eccli. 15.
reliquit illū, in manu consilij sui. Adiecit man- 14.
data & præcepta sua: si volueris, inquiens, man-
data seruare, conseruabunt te, & in perpetuum
fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam &
ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.
Ante hominem vita & mors: bonum, & ma-
lum: quod placuerit ei, dabitur illi; quoniam
multa sapientia Dei, & fortis in potentia, vi-
dens omnes sine intermissione. Igitur arbitrij
libertas homini à Conditore est data, non
solùm, vt etiam hac imaginem & similitu-
dinem Dei præ se ferret; sed etiam, vt præ-
clarior esset gloria, quam mereretur, & non
coactis laboribus partam acciperet. Bestias,
etiam si sudent, & plus, quàm vlli homines,
laborent, nemo censet honore dignas; ca-
rent enim libertate, qua laudem honorému-
ue mereantur. Quapropter multa sapientia
Dei fuit, in homine creando, quem tantum
non fecisset, si liberum non fecisset; etiamsi
fecisset sempiternæ beatitudinis capacem.
Posuisset enim eum in cœlo, sine suo merito,
&, sine spontaneæ seruitutis gloria, fecisset
gloriosum; sicut si truncus, qui pedibus ire
non potest, alienis manibus, in regio pala-
tio collocaretur; quem nemo laudat, quod
eo se ipsum promôrit.

§. III.